



**Gaspar Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus
Antuerpiensis, vniuersis & singulis Diœcesis nostræ
Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam.
Summus Pontifex Vrbanvs VIII. anno Domini M. DC. ...**

Nemius, Gaspard

[Antverpiæ], [1647]

Gaspar Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Antuerpiensis, vniuersis &
singulis Diœcesis nostræ Christi fidelibus salutem in Domino
sempiternam. Summus Pontifex Vrbanvs VIII. anno Domini M. DC. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73797)



ASPAR Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Antuerpiensis, vniuersis & singulis Dicecesis nostræ Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam. Summus Pontifex VRBANVS VIII. anno Domini M. DC. XLI. pridie Nonas Martij edidit Bullam, eamque publicari fecit anno M. DC. XLIII. die XIX. Iunij: cuius titulus est, Sanctissimi Domini nostri VRBANI diuinâ Prouidentia Papæ VIII. confirmatio Constitutionum Pij Papæ V. & Gregorij XIII. prohibentium quasdam Theologorum sententias & opiniones: nec non prohibitio libri, cui titulus, *Augustinus Cornelij Janssenij, olim Iprensis Episcopi*, excusi Louanij typis Jacobi Zegers anno M. DC. XL. aliorumque Operum ac libellorum, occasione dicti libri variis in locis & variis idiomatibus impressorum. Ac simul renouando Pauli V. & sua anteriora Decreta, sub grauibus pœnis & censuris prohibuit, ne quis, absque speciali Summi Pontificis licentia, præsumeret in lucem emittere Libros, Tractatus, vel Compositiones in materia de Auxiliis diuinis, seu de Gratia & Libero arbitrio. Quibus omnibus vt in nostra præsertim Dicecesi perfectè obediretur, Nobis specialiter commendarunt, & impensius mandarunt; primùm idem VRBANVS VIII. litteris ad Nos datis in forma Breuis anno Domini M. DC. XLIII. die XXIV. Octobris: ac deinde Sanctissimus Dominus noster INNOCENTIUS diuinâ Prouidentia Papa X. per alias litteras similiter in forma Breuis expeditas die XX. Februarij anno M. DC. XLV.

Quare Nos, qui ab initio supradictam Bullam quâ decuit reuerentiâ suscepimus, & conati sumus, vt in nostra Dicecesi eidem ex omni parte fieret satis, iudicauimus eamdem in nostra Dicecesi iterùm publicandam; & accedente etiam Regio Catholicæ Maiestatis mandato publicauimus die decimâ Maij anni superioris; ac mandauimus, vt omnes eidem in omnibus pareant & obediant sub pœna & censuris in Bulla contentis.

Cùm autem, his non obstantibus, multa quotidie contra supradictam Bullam attentari, maximo nostro dolore, intelligamus; atque ad manus nostras peruenerit, & in Dicecesim inuehi cœperit libellus, cui titulus est, *Rhythmica consideratio altitudinis Consilij diuini super salutem generis humani, ex sanctissimo & irrefragabili Ecclesia Doctore Augustino Episcopo Hipponensi, proposita per D. ac Fratrem Petrum Cobbaert, S. Theol. Licentiatum, eiusdemque, quondam Lectorem, Abbatia Niniuensis Canonicum Norbertinum, Pastorem in Liedekercke. Bruxellis ex Officina Martini de Bossuyt*, M. DC. XLVII. Cumque libellus ille nostro, & Vicariatus nostri iudicio, contineat doctrinam & compositionem per supradictam Bullam Apostolicam reprobam & prohibitam, iudicauimus ex eiusdem Vicariatus nostri consilio, dictum libellum esse prohibendum, sicut presentibus prohibemus; ac mandamus omnibus nostræ Dicecesis, ne illum imprimere, aut alibi impressum inuehere, euulgare, vendere, aut legere vel retinere præsumant. In quorum fidem has Sigilli nostri impressione, & Secretarij signaturâ confirmari iussimus. Datum Antuerpiæ in Aula nostra Episcopali die vigesimâ quintâ Februarij anno M. DC. XLVII.

De mandato Perillustris & Reuerendissimi Domini Episcopi præfati.

Loco ✠ Sigilli.

Franc. Hilleveruen Secret.

Infrâ scriptum erat:

Anno à Natiuitate Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, die vero primâ mensis Martij, suprascriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiarum, Cathedralis B. MARIÆ, & Parochialis sanctæ VValburgis respectiue, Antuerpiensium, per me infrascriptum Notarium Apostolicum.

I. Hermans Not.

